

ARTICULUS III.

Utrum post peccatum ante Christum sacramenta debuerint esse (4, d. 1, quæst. 1, art. 2, quæst. 4).

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod post peccatum ante Christum sacramenta non debuerint esse. Dictum est enim (art. 1 hujus quæstionis, ad 3), quod per sacramenta passio Christi hominibus applicatur, et sic passio Christi comparatur ad sacramenta, sicut causa ad effectum. Sed effectus non præcedit causam. Ergo sacramenta non debuerunt esse ante Christi adventum.

2. Præterea, sacramenta debent esse convenientia statui humani generis, ut patet per Augustinum, 19 contra Faustum (cap. 16 et 17). Sed status humani generis non fuit mutatus post peccatum, usque ad reparationem factam per Christum. Ergo neque sacramenta debuerunt immutari, ut præter sacramenta legis naturæ, alia statuerentur in lege Moysis.

3. Præterea, quanto aliquid est magis propinquum perfecto, tanto magis debet ei assimilari. Sed perfectio salutis humanæ per Christum facta est, cui propinquiora fuerunt sacramenta veteris legis, quam ea, quæ fuerunt ante legem. Ergo debuerunt esse similia sacramentis Christi. Cujus tamen contrarium apparet ex eo, quod sacerdotium Christi prædicatur esse futurum secundum ordinem Melchisedech, et non secundum ordinem Aaron: ut habetur Heb. 7. Non ergo convenienter fuerunt disposita ante Christum sacramenta.

Sed contra est, quod Augustinus dicit 19 contra Faustum (cap. 13, in princ.), quod prima sacramenta, quæ celebrabantur et observabantur ex lege, prænuntia erant Christi venturi. Sed necessarium erat ad humanam salutem, ut adventus Christi prænunciaretur. Ergo necessarium erat ante Christum sacramenta quædam disponi.

Respondeo dicendum, quod sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem, in quantum sunt quædam sensibilia signa invisibilium rerum, quibus homo sanctificatur. Nullus autem sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, ut sit ipse justus, et justificans eum, qui ex fide est Jesu Christi. Et ideo oportebat ante Christi adventum esse quædam

signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. Et hujusmodi signa dicuntur sacramenta. Et sic patet, quod ante Christi adventum, necesse fuit quædam sacramenta institui.

Ad 1 ergo dicendum, quod passio Christi est causa finalis veterum sacramentorum, quæ scilicet ad ipsam significandam sunt instituta. Causa autem finalis non præcedit tempore, sed solum in intentione agentis. Et ideo non est inconveniens aliqua sacramenta ante Christi passionem fuisse.

Ad 2, dicendum, quod status humani generis post peccatum et ante Christum, dupliciter potest considerari. Uno modo secundum fidei rationem, et sic semper unus et idem permansit, quia scilicet justificabantur homines per fidem futuri Christi adventus. Alio modo potest considerari secundum intensionem et remissionem peccati et expressæ cognitionis de Christo. Nam per incrementa temporum et peccatum cœpit in homine magis dominari, in tantum quod, ratione hominis per peccatum obtenebrata, non sufficerent homini ad recte vivendum præcepta legis naturæ, sed necesse fuit determinari præcepta in lege scripta, et cum his quædam fidei sacramenta. Oportebat etiam, quod per incrementa temporum magis explicaretur cognitio fidei, quia ut Gregorius (Hom. 16 in Ezech. a medio.) dicit: Per incrementa temporum crevit divinæ cognitionis augmentum. Et ideo etiam necesse fuit, quod in veteri lege quædam sacramenta fidei, quam habebant de Christo venturo, determinarentur. Quæ quidem comparantur ad sacramenta, quæ fuerunt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatum, quia scilicet ante legem non fuit determinate præfixum homini, quibus sacramentis uteretur, sicut fuit per legem; quod erat necessarium, et propter obtenebrationem legis naturalis, et ut esset determinatio fidei significatio.

Ad 3, dicendum, quod sacramentum Melchisedech, quod fuit ante legem, magis assimilatur sacramento novæ legis in materia, in quantum, scilicet obtulit panem et vinum (ut habetur Gen. 14), sicut etiam sacrificium novæ legis oblatione panis et vini perficitur; sacramenta tamen legis mosaicæ magis assimilantur rei significatæ per sacramentum, scilicet passioni Christi, ut patet de agno Paschali et aliis hujusmodi. Et hoc ideo ne propter continuitatem temporis, si permaneret eadem sacramentorum species, videretur sacramenti ejusdem esse continuatio.

COMMENTARIUS.

In hoc articulo D. Thomas duo tempora comprehendit, scilicet tempus legis naturæ, et legis scriptæ; nam, licet in eis temporibus institutio sacramentorum fuerit in eis statibus diversa, vel quantum ad determinationem majorem, vel minorem, vel quantum ad clariorem significationem, tamen ratio significandi gratiam, ut futuram per Christum, fuit utrisque communis, et propriam differentiam constituens inter omnia illa, et sacramenta novæ legis, et ita sunt facilia omnia, quæ D. Thomas posuit. Ex quo obiter colligere licet, quam sit doctrinæ D. Thomæ consentaneum, quod supra diximus, de ratione sacramenti esse, ut significet gratiam Christi, quibusdam vero significari ut futuram, aliis vero ut præsentem.

DISPUTATIO IV.

DE INSTITUTIONE ET NECESSITATE SACRAMENTORUM LEGIS NATURÆ.

Tempus legis naturæ quod. — Lex naturæ intelligitur dictamen rationis, non solum ex naturali, sed etiam ex supernaturali lumine ortum. — Lex naturæ respectu aliorum a populo Israel duravit usque ad Christum. — Distinguimus claritatis gratia tempus illud, quod a peccato Adæ usque ad Christum intercessit (de quo sub uno titulo D. Thomas egit art. 3), in duo tempora, scilicet legis naturæ et scriptæ; et quamvis hoc posterius proprie inceperit a Moyse, per quem lex data est, tamen quia circumcisio, quæ in lege scripta permansit, multis annis legem antecessit a diebus Abraham, cui præcepta fuit, ideo tempus hoc legis naturæ solum usque ad institutionem circumcisionis extendimus; illud enim legis naturæ tempus appellatur, in quo tantum vigeat lex naturalis in mentibus hominum scripta, et nulla fuerant a Deo data specialia præcepta, quibus peculiaris cultus, aut determinatæ cæremoniæ ordinarie ac regulariter hominibus præciperentur. Cum autem de lege naturali agimus, non intelligimus solum illud dictamen rationis, quod manet ex pura natura hominis seu ratione naturali nude sumpta; nunquam enim humana natura hujusmodi statum legis naturæ habuit, quia sicut creata fuit ad supernaturalem finem, ac semper a Deo habuit media quibus illum con-

sequi posset, ita semper habuit aliqua supernaturalia præcepta, quibus ad eundem finem dirigeretur. Comprehendimus ergo sub lege naturæ ea præcepta, quæ connaturalia sunt gratiæ et justitiæ supernaturali, seu illud dictamen rationis, quod non tantum ex naturali lumine, sed etiam ex fide supernaturaliter revelata ac sufficienter proposita intrinsece oritur, qualia sunt præcepta fidei, spei, charitatis, poenitentiae, et similia, quæ per se, et ex natura rei sunt necessaria ad vitam recte instituendam, in ordine ad finem supernaturalem; et ita sunt intelligenda, quæ ibi D. Thomas docet, art. 3, ad 2, et quæst. præced., art. 5, ad 3, et 1. 2, quæst. 98, ar. 5, et quæst. 100, art. 1. Ex quo intelligitur, statum illum legis naturæ distingui a statu legis veteris tanquam partem a toto, seu tanquam includens et inclusum, seu tanquam determinatum et indeterminatum, ut eisdem locis D. Thomas notavit; nam quidquid erat necessarium ad salutem in lege naturæ, fuit etiam in lege veteri; sed hæc addidit aliqua peculiaris seu determinata præcepta. Rursus hinc fit, quia illa præcepta legis scriptæ non omnes obligabant, sed tantum Israeliticum populum, ideo solum respectu illius populi distingui hæc duo tempora; nam respectu aliorum hominum, qui ea lege non tenebantur, usque ad Christum et legem gratiæ duravit; imo, quod pertinet ad præsentem quæstionem, etiam in populo Israelitico duravit remedium illius legis ad tollendum originale peccatum, saltem respectu fœminarum, ut postea videbimus. De hoc ergo tempore difficile est inquirere, quæ sacramenta in illo fuerint, quia perpauca sunt nobis de illo revelata, aut Scriptura divina, aut Patrum traditione; ut vero distinctior sit inquisitio, visum est, prius dicere de hoc speciali sacramento, quod ad remedium originalis peccati ordinatur; quoniam de illo majora esse possunt veritatis vestigia, vel indicia, qua, prout poterimus, investigata, facile erit ed reliquis sacramentis illius temporis generatim dicere.

SECTIO I.

Utrum in lege naturæ potuerint infantes ante usum rationis ab originali peccato, aliquo remedio liberari.

1. Non dubitandum. — Præmittimus quæstionem hanc, quoniam necessaria est ad inve-niendam et definiendam veritatem, quam inquirimus, specialiterque agimus de infantibus.

quia de adultis non est dubium, quin saltem per conversionem in Deum ex vera fide per charitatem operante possent justificari, et ab originali peccato facilius quam ab actuali liberari. An vero remedium pro parvulis institutum illis prodesse potuerit, facile postea dicemus. Ratio autem dubitandi in primis est, quia in tota antiquitate fere nulla est mentio hujus remedii, saltem ante Augustinum; in Scriptura enim nihil de eo legitur, neque ante institutam circumcisionem, neque post illam pro fœminis Judæorum, aut pro aliis gentibus; de ipsa vero circumcisione adhuc est res sub controversia, an fuerit instituta in remedium originalis peccati, ut postea videbimus. Rursus ante Augustinum nullus sanctorum Patrum hujus remedii meminit; ipse vero Augustinus qui primus videtur fuisse hujus remedii inventor, sub dubitatione loqui videtur, et non certa auctoritate, sed pietate quadam, et probabili conjectura nititur, nimirum, quod videtur gravissimum, et a divina pietate alienum, quod omnes illos infantes absque remedio reliquerit. Quæ tamen conjectura non videtur admodum firma, etiam juxta doctrinam ejusdem Augustini, qui in hujusmodi admirandis judiciis et mysteriis divinæ providentiæ, prædestinationis, ac reprobationis, similia sæpe docet, quæ non minorem admirationem habent, et occultam causam, et rationem; nam, in lib. de Bon. persever., c. 12, et lib. de Nat. et Grat., c. 8, dicit, esse aliquos parvulos, quos Deus salvare noluit, neque de remedio illis providere, ad ostensionem justitiæ suæ, quia in eis est sufficiens causa suæ damnationis, scilicet peccatum originale. Quid ergo, si aliquis idem dicat de omnibus illis parvulis, qui in lege naturæ mortui sunt? quia in illis etiam fuit sufficiens causa damnationis, et materia, in qua ostendi posset divina justitia. Præsertim cum Paul., Act. 17, ætatem illam vocet: *Tempora ignorantia, quæ desepcit Deus.*

2. Dicit aliquis, id, quod Augustinus ait citatis locis, intelligendum esse de his, quæ raro contingunt; pauci enim sunt, qui ita deseruntur a Deo; parvulos autem defunctos in lege naturæ fuisse pene infinitæ multitudinis; et ideo non esse parem rationem. Sed contra hoc est, nam parvuli, qui moriuntur in uteris matris a principio mundi usque ad finem, non sunt pauci, sed in multitudine etiam pene infinita, et tamen omnes illos reliquit sine remedio, non solum in lege naturæ et veteri, sed etiam in lege gratiæ. Quibus adjungi possunt

omnes illi, quibus ob defectum aquæ vel aliud simile impedimentum, applicari remedium non potest; nam hi etiam non sunt pauci, et moraliter loquendo ac humano more relictis sunt sine remedio, solum ex juxta permissione Dei, qui solum voluit quædam generalia remedia instituere, quæ his omnibus applicari non potuerunt; cur ergo non poterit idem dici de infantibus legis naturæ? nam sicut est per accidens hominem mori ante nativitatem ex utero, ita est per accidens, mori ante ætatem adultam; ergo sicut nunc solum instituit Deus remedium pro his qui nascuntur ex utero, et non censetur inconveniens alios manere sine remedio, quia est per accidens, quod antea moriantur, ita fieri potuit, ut tunc solum daretur remedium pro adultis, et non censebitur inconveniens, ut, qui antea decedunt, remedio careant, quia etiam est per accidens, quod antea moriantur.

3. *Augetur difficultas.* — Secundo, augetur difficultas ratione ostensiva, quia ante legem gratiæ nemini dabatur gratia et aliud quod medium ex opere operato, sed solum ex vi dispositionis aut meriti operantis, nam ille alius operandi modus est proprius sacramentorum novæ legis, ut postea videbimus; sed nullum remedium poterat parvulis prodesse ad tollendum originale peccatum, nisi eis daretur gratia ex opere operato; ergo non potuerunt tunc habere tale remedium. Minor probatur, quia, ut suppono, peccatum originale non deponitur, nisi per infusionem gratiæ, ad quam consequendam parvuli non poterant habere propria merita, aut dispositionem propriam; debuisset ergo infundi ex opere operato, quod imperfectioni illius temporis repugnabat.

4. Tertio, quia non potest facile fingi, in quo positum fuerit hoc remedium. Quod si quis dicat, non fuisse determinatum, sed fuisse relictum arbitrio parentum, certe hinc sequitur, melius fuisse provisum infantibus legis naturæ, quam legis gratiæ, quia multo facilius poterat illis applicari remedium ita amplum, ac voluntarium, quam remedium aquæ certum ac definitum, quod in lege gratiæ institutum est. Unde fieret, ut re bene compensata, plures infantes damnarentur in lege gratiæ ex defectu remedii, quam in lege naturæ, quia hoc ipso, quod determinatum est hoc remedium ad baptismum aquæ, relictis sunt sine remedio, qui baptizari non possunt, qui possunt esse quamplures. Tum quia ob naturæ debilitatem, et majorem hominum

multitudinem plures infantes nunc moriuntur ante adultam ætatem, quam in lege naturæ; tum etiam, quia baptismi necessitas ab innumeris nationibus et gentibus ignoratur; tum denique, quia cum remedium sit ita præfixum ac unicum, multis de causis fieri potest, ut applicari non possit. At vero in lege naturæ, cum remedium esset indifferens, ex parte illius facilius applicari poterat, et alioqui ex parte parvulorum erat minus periculum; quia, cum natura esset robustior, pauciores in ea ætate moriebantur; ergo omnibus pensatis melius esset provisum infantibus in illo statu, quam in lege gratiæ, quod videtur incredibile, cum in hac lege abundantius Christi gratia hominibus communicetur.

5. *In lege naturæ omnino fuit aliquod remedium ad infantium salutem.* — *Divinæ providentiæ est omni ætati providere.* — *Fœminæ Judææ remedio ad salutem non caruerunt.* — Nihilominus omnino affirmandum est, in ea lege fuisse aliquod remedium ad infantium salutem a Deo institutum. Ita docent omnes Theologi in 4, dist. 1 et 2, absque ulla controversia aut opinionum varietate, quod est signum, dogma hoc certum ac indubitatum apud illos fuisse, quod prius docuerat Augustinus, 5 contra Julianum, c. 9, dicens: *Non est credendum, ante datam circumcisionem, famulos Dei, quandoquidem illis inerat mediatoris fides, nullo sacramento ejus opitulatos esse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa sacra Scriptura tacere voluerit;* similia habet, 2 lib. de Nupt. et Concup., c. 12, et lib. 2 de Pecc. mer. et remiss., c. 9, quem postea sequuti sunt Greg., Beda, et Hugo de S. Vict., locis infra citandis. Et videtur esse sententia Innoc. IV, in c. Majores, de Baptismo, ubi cum docuisset, baptismus prodesse nunc parvulis, sicut eis circumcisio prius conferre poterat, postea quasi generalem reddens rationem, subjungit hæc verba: *Absit enim, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.* Quæ verba et generalia sunt, et de omnibus temporibus æque procedunt et propriam rationem continent hujus veritatis; nam licet sine injustitia potuerit Deus permittere omnium illorum parvulorum damnationem, eosque sine remedio relinquere, ut rationes dubitandi in principio positæ concludunt, non tamen est consentaneum divinæ providentiæ, neque illi generali

voluntati, qua vult omnes homines salvos fieri, ut Innocent. significat; nam illa voluntas saltem est antecedens; ergo ad illam spectat, ut Deus det omnibus sufficientia media ad salutem, modo accommodato juxta singulorum capacitatem; ergo, si in illa generali voluntate parvuli comprehenduntur, debuit Deus in omni lege aliquod remedium eis providere; nam hoc postulat fragilitas et mortalitas humanæ naturæ, ex qua tanta certitudine ac necessitate sequitur multorum mors ante adultam ætatem, ut non possit censeris hominibus omnibus sufficienter provisum, nisi etiam infantum ante usum rationis morientium ratio habeatur. Nec vero simile est de infantibus, qui in utero moriuntur, quia pro illo statu non censentur capaces remedii, quod per homines, et modo accommodato hominibus applicari possit, cum nondum in hanc lucem sint editi, et vix cadant sub cognitionem humanam. Præterea hujus veritatis magnum indicium est, quod non est verisimile, fœminas Judæorum, quibus circumcisio applicari non poterat, relictas esse sine remedio, quo tolleretur peccatum originale; sed ad hunc effectum nullum remedium legitur esse institutum in illa lege; nam si aliquod esset hujusmodi, esset proprium fœminarum, et non adhiberetur viris, qui circumcidebantur; nullum autem tale remedium fuit in illa lege; nam, si quod esset, maxime præsentatio, seu oblatio in templo; hæc autem communis erat viris et fœminis; signum ergo est non fuisse institutam illam cæremoniæ in remedium originalis peccati; ergo signum est, illud ipsum remedium, quod in lege naturæ fuit, perdurasse et utile fuisse fœminis in populo Israelitico, tam ab Abraham usque ad Moysen, quam postea in toto tempore legis naturæ; ergo signum est simile remedium semper fuisse a Deo provisum omnibus infantibus, tam viris quam fœminis. Prima propositio in hac ratione assumpta videtur per se nota, tum quia non est verisimile in eodem Dei populo infantibus viris provisum esse remedium ad salutem, non autem fœminis; tum etiam quia fœminæ ante usum rationis offerebantur Deo, et fiebant participes sacramentorum, et cæremoniarum illius legis, quod nullo modo fieret, nisi in divinam amicitiam prius essent reconciliatæ.

6. *Nullum reliquit Deus sine remedio.* — Ad rationes in contrarium jam facile est ex dictis respondere. Ad primam negatur pro-

prie loquendo, Deum reliquisse aliquem sine remedio ad salutem juxta sui status capacitatem, quanquam enim non de singulis in particulari providerit, ut eis efficaciter applicaretur remedium generaliter omnibus provisum, tamen, quantum in ipso est, omnibus providit; prævidens autem in quibusdam futurum esse impedimentum, ne illis posset remedium ad salutem applicari, id permittere voluit, et hoc sensu dixit Augustinus quosdam sine remedio reliquisse; hæc enim permissio seu voluntas non repugnat universali ac sufficienti gratiæ, quam de se omnibus obtulit, et ideo esse potest accommodata ad manifestationem divinæ justitiæ; secus vero est de voluntate relinquendi aliquod genus hominum sine sufficienti remedio pro aliquo statu; id enim, quamvis ex rigore justitiæ fieri posset, non esset tamen consentaneum generali voluntati, qua Deus omnibus hominibus redemptionem ac salutem obtulit. Ad secundum dicitur latius infra quæst. 62; concedendum est enim, ante Christi adventum aliquibus datam esse gratiam ex divina promissione ad præsentiam alicujus signi, vel operis sine proprio merito, vel dispositione, si illius capaces non erant; quanquam ille modus proprie non fuerit ex opere operato, et in hoc sit aliqua diversitas inter illa remedia et nostra sacramenta, quæ prædicto loco explicanda est. Ad tertium patet ex sectione sequenti.

SECTIO II.

Utrum ad tollendum peccatum originale infantium in lege naturæ sufficiens fuerit interior fides parentum, vel fuerit præterea necessaria aliqua actio exterior.

1. *Parvulorum actio non fuit necessaria.* — Ex dictis in præced. sect. nonnulla per se clara et certa colligere possumus. Primum est, hoc parvulorum remedium non potuisse adhiberi per propriam actionem ipsorum parvulorum; agimus enim de statu eorum ante usum rationis, in quo non sunt capaces humanarum actionum; aliæ vero actiones vel passiones, quæ vel mere naturales sunt, vel casu eveniunt ab extrinseco, non sunt apta media ad prædictum effectum; alias, vel omnes justificati fuissent per aliquam naturalem actionem, sicut omnes originali culpa inficiuntur, quia per modum naturæ communicatur in ipsa naturali generatione, vel certe Deus suo arbitrio justificaret quos vel-

let, et ita non omnibus providisset certum ac definitum remedium.

2. *Aliqua humana actio requisita est.* — Secundo est certum, hoc remedium debuisset applicari per aliquam humanam actionem parentum, seu eorum, quibus parvulorum cura incumberet. Patet, quia nec ex parte ipsius remedii, nec ex parte ejus, per quem applicandum erat, potest aliquid aliud accommodatum excogitari; nam quod fuerit necessaria aliqua actio humana, patet, quia si, hominibus nihil agentibus, Deus justificasset aliquos parvulos, vel justificasset omnes, vel aliquos tantum suo arbitrio, vel certe per causas aliquas naturales gratiam communicaret, quæ omnia sunt absurda et improbabilia. Rursus neque hoc remedium positum fuit in aliqua sanctitate habituali parentum aut alia simili conditione, ratione cujus filii orti ex talibus parentibus justificarentur; quia sicut nulla sanctitas, vel conditio parentum impedire potuit, ne filii in peccato originali conciperentur et nascerentur, ita nec poterat esse sufficiens, ut ratione illius tolleretur postea originale peccatum, sine alia operatione. Præterea, quod hæc actio debuerit esse parentis, vel alterius qui ejus vicem gereret, patet, quia non poterat esse ipsius parvuli, ut dictum est, quia non erat capax; et optime congruebat, ut qui per alienam actionem peccatum contraxerat, per alienam etiam voluntatem justitiam consequi posset. Neque etiam ad alterum hoc magis pertinebat, quam ad parentem; quia filius est sub cura ejus, et quando propriam non habet, regendus est etiam in his, quæ ad animam spectant, voluntate parentis; et ita servatum videmus in aliis remediis parvulorum a Deo institutis in lege veteri et nova, de quibus nobis magis constat.

3. *Remedium hoc in aliquo cultu religioso consistebat.* — Tertio conveniunt omnes, hujusmodi remedium positum fuisse in aliqua actione, vel professione fidei et cultus religiosi, quo parvulus dicaretur Deo, et cultui ejus manciparetur ex fide et intentione parentis, vel ejus per quem remedium applicabatur. Cujus ratio est, quia cum per hoc remedium sanctificandi essent parvuli et in divinam amicitiam revocandi, necesse est, ut hoc fieret per aliquam actionem sacram et ad Deum pertinentem; et quia fundamentum omnis justitiæ et omnis veri cultus divini est fides, ideo necessarium dicimus, illam actionem aliqua ratione fuisse operationem fidei;

et hoc sensu dicunt omnes fuisse tunc parvulos justificatos in fide parentum, ut magis in sequentibus explicabimus. Igitur inquirendum restat, qualis fuerit illa actio, sensibilis ne, vel mere interna et spiritualis, ut postea dicere possimus, an fuerit sacramentum, necne.

4. *Prima sententia remedium hoc in actu internæ fidei constituit.* — *Status legis naturæ non includit præcepta divina positiva.* — Prima sententia est, illum actum solum fuisse internæ fidei, ita tamen ut per fidem non intelligatur sola credulitas intellectus, sed aliqua alia moralis actio interior a fide manans, qua parens filium suum Deo offerret, vel salutem spirituale ipsius deprecaretur, vel aliquid simile. Ita sentit Bonav., dist. 4, art. 2, q. 1 et 2; Richard., art. 5, q. 1 et 2; qui fundant effectum, seu fructum hujus remedii in merito de congruo ipsorum parentum, et nihilominus dicunt sufficientem fuisse informem fidem eorum, quia hæc satis est ad meritum de congruo. Sed hi auctores in hoc et falsum supponunt, quia revera ad meritum de congruo non sufficit fides informis, et præsertim ad merendam alteri gratiam et sanctitatem; et præterea non satis explicant vim et radicem hujus remedii; quia, ut esset infallibile, quod necessarium est ut esset verum remedium, non satis erat meritum de congruo, quia non semper et infallibiliter habet effectum, sed necessaria erat divina promissio, et hanc oportet ostendere. Quod si hæc intercessit, non erit necessarium meritum de congruo, sed sola illa actio quam divina promissio postulabat. Alia ergo via defendit eandem sententiam D. Thomas, in 4, d. 1, quæst. 2, art. 6, quæst. 1 et 2, ubi dicit, per internam fidem parentum fuisse parvulos justificatos ex vi divinæ promissionis et quasi ex opere operato; unde consequenter negat, fuisse tunc institutum aliquod sacramentum in remedium parvulorum, quia non erat signum sensibile, sed actus mere interior; quod si interdum adjungebatur exterior, id erat accidentarium; nam ex vi solius interioris actus esset jam collatus effectus. Et eandem sententiam late defendit Soto, in 4, d. 2, quæst. 1, art. 4. circa med. Et primo fundari potest auctoritate August., lib. 2 de Nup., c. 12, ubi dicit, per fidem fuisse justificatos tam parvulos, quam adultos, quamvis mysterium justificationis ex fide multos latuerit. Magis favet Tertullianus, lib. de Baptism., c. 13, dicens, olim fuisse suffi-

cientem fidem sine sacramento ad consequendam salutem, postea aucta fide additum fuisse sacramentum. Sed ibi non loquitur specialiter de parvulis. Quapropter clarius videtur docere hanc sententiam Gregor., 4 Moral., c. 2 et 3, ubi dicit: Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis. Ubi, ut differentiam aliquam constituat inter parvulos, et adultos, intelligere necesse est, cum dicit solam fidem suffecisse pro parvulis, excludere omnem actum externum; alioqui nulla esset differentia; atque eodem modo loquitur Beda, lib. 2 in Luc., c. 8; et Bernard., ep. 77; et Hug. de S. Vict., lib. 1, de Sacram., p. 11, c. 3 et 6, et p. 9, c. 5, qui addit, fuisse quidem in ea lege aliquod sacramentum pro parvulis, illud tamen fuisse devotionis, non necessitatis. Secundo, probatur ratione, quia status legis naturæ, ut supra dicebamus, non includit præcepta divina positiva, sed solum ea quæ ex intrinseca ratione fidei et gratiæ in humana natura existentis consequebantur; sed uti aliqua externa et sensibili actione ad remedium parvulorum, non sequitur necessarium ex fide aut gratia; ergo non erat necessarium in illo statu. Dices: hac ratione probaretur etiam, actum internam non fuisse necessarium, quia ex sola rei natura non sequitur hæc necessitas. Respondetur: ideo dixi consideranda esse præcepta, quæ consequuntur gratiam et fidem, prout in humana natura existunt; naturale autem est homini, ut parenti incumbat tam spiritualis, quam corporalis salus filii; et ideo ex intrinseca natura gratiæ sequitur, ut parentes habentes fidem de lapsu filiorum, et de necessitate remedii quam habent ut Deo reconcilientur, debeant quod in ipsis est facere, et aliquo modo filios suos Deo offerre, ut justitiam coram illo consequantur; et qui hoc necesse est ut fiat saltem per actum internum, ideo ipsa lex naturæ obligat parentes saltem ad hujusmodi remedium; at vero actus exterior non erat necessarius ex sola rei natura; oporteret ergo ut ejus necessitas manaret ex præcepto divino positivo, quod in eo statu nullum erat. Confirmatur, quia cum eo tempore fides esset valde obscura et implicita, præsertim de Christo, et de lapsu primi hominis ac originali peccato, oportuit præter fidem nihil aliud exigi in remedium parvulorum, ut remedium, quod propter

ignorantiam erat difficillimum, et a paucissimis cognosci et adhiberi poterat, fieret aliqua ex parte facile, ut aliquibus saltem applicari posset; et in hoc est magna differentia inter statum legis naturæ, et legis scriptæ, vel gratiæ, propter quam non licet ab exemplo harum legum sumere argumentum ad statum legis naturæ.

5. *Hoc remedium debuit applicari per actum externum.* — *In lege naturæ cultus Dei externus necessarius.* — *Responsio.* — Secunda sententia, quæ probabilior nobis videtur, est hoc remedium parvulorum in lege naturæ non fuisse positum in solo interiori actu, sed debuisse applicari per aliquem actum externum, qui esset veluti exterior professio interioris fidei. Hæc est communior sententia Theologorum, Alex. Alens., Scot., Durand., Palud., Gabr., Major., et aliorum, in 4, d. 4, ut latius seq. sect. referam, et Adrian., in 4, q. ult. de Bapt., ad 2, et Armachan., lib. 8, de quæst. Armen., c. 27, et videtur manifesta D. Thomæ, hic, et q. præced., art. 5, et clarius infra, q. 70, art. 4, ad 2, ubi, cum dixisset, solam fidem parentum fuisse sufficientem parvulis ad salutem in lege naturæ, subdit inferius, verisimile esse debuisse eam fidem aliquo sensibili signo manifestari. Et primo probari potest hæc sententia, D. Augustini auctoritate, nam licet aliquando hanc quæstionem attingens eam non definiat, dicens sacram historiam hoc tacuisse, ut videre licet 15 de Civit., c. 16, et lib. 2 de Grat. Christi, seu de Pecc. orig., c. 30, tamen, lib. 5 contra Julianum, c. 9, eam definit verbis quæ sect. præced. retuli, quæ in sequenti iterum attingam; et eandem sententiam indicat Cyprianus, lib. de Car. Christi operibus, c. de Circumcis. Christi, dicens: *Sane originale peccatum, quod a primis parentibus in totam generis hujus successionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari, licet vim plenam significantia non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine.* Ubi aperte dicit, illa remedia habuisse significationem sensibilem, et statim illa vocat Sacramenta, et rationem reddit, cur externis actionibus fieret, scilicet, ad præfigurandam Christi mortem et divinam sententiam ab initio in peccatum prolata. Secundo, probatur ratione hæc opinio. Primo, quia in lege naturæ necessarius erat cultus Dei externus et sensibilis; ergo per hujusmodi cultum seu per actum ad illum

pertinentem debuit fieri hæc sanctificatio parvulorum. Hanc rationem late prosequitur Cano, in relect. de Sacram. in genere, c. 3. Sed fere omnia, quæ adducit; ad probationem antecedentis pertinent, quod tamen adeo clarum est, ut nulla nova probatione indigeat, maxime suppositis quæ de statu innocentiae diximus; de consequentia vero, in qua est difficultas, pauca dicit. Probari autem potest primo, quia cum per hoc remedium parvuli initiarentur et cultui divino consecrarentur, oportebat ut per illud genus cultus sanctificarentur, qui est homini accommodatus, et Deo ab homine debitus; sed hic non tantum est interior, sed etiam exterior: ergo. Secundo, quia hominibus non solum est necessaria ad salutem fides, sed etiam fidei professio; ergo eo modo, quo parvuli participare poterant fidem, scilicet per parentes, vel (ut ita dicam) non active, quia non poterant illi elicere vel profiteri fidem, sed passive, quia per alios fieri poterant fideles, et professores fidei; eo (inquam) modo, quo erant capaces, utrumque debuit circa illos exerceri. Tertio, quia cum Ecclesia ex hominibus constans sit visibilis, valde consentaneum illi est, ut hoc remedium esset sensibile, tum, ut constare posset Ecclesiae, tale remedium esse applicatum, ne oporteret, aut semper esse in dubio, aut inutiliter repeti; tum etiam quia per hoc remedium fierent parvuli membra Ecclesiae, sicut nunc fiunt per baptismum, vel synagogæ fiebant per circumcisionem; oportuit enim ut conjunctio ad corpus visibile per actum sensibilem fieret. Aliter colligit Durand. hanc rationem, scilicet quia justificatio parvuli fiebat ex merito de congruo totius Ecclesiae; ergo oportebat fieri per aliquam actionem, quæ in persona Ecclesiae fieret; ergo per actionem sensibilem, nam actio pure interior, cum sit ignota Ecclesiae, non est apta ut nomine ejus fiat. Sed fundamentum hujus rationis uno sensu est falsum, alio vero est probabile; nam si intelligat, propriam causam, ob quam dabatur et promittebatur justitia parvulis, fuisse meritum Ecclesiae, est falsum; nullus enim meretur alteri primam gratiam, præsertim infallibiliter dandam, et sine proprio motu suscipientis, nisi solus Christus; et ita solum meritum ejus est propria causa hujus promissionis et justitiæ. Si vero intelligat, illud meritum de congruo fuisse veluti conditionem necessariam, quam Deus tunc exigebat, est quidem probabile in eo sensu, quo August.

dicit, epist. 23, per charitatem totius Ecclesiae adjungi parvulos ad fidelium communionem; non est autem intelligendum, fuisse necessarium aliquod meritum actuale ministri vel Ecclesiae, quia, licet nullus actus bonus nunc sancte fieret, justificaretur parvulus ex vi divinæ promissionis, sicut nunc fit in baptismo; sed solum est intelligendum, decuisse actionem illam fieri ministerio publico, atque ita in persona Ecclesiae, ut actio moraliter censeretur magis accommodata, et ex parte hominum aptior ad illum effectum obtinendum. Quarto, accedit similis ratio ex parte Christi, quia per hoc remedium conjungebantur hi parvuli Christo capiti, et in virtute illius sanctificabantur, et ideo, sicut Christus, non tantum sperabatur Deus, sed etiam homo, et caput hominum homogenum et sensibile, ita oportebat, modo etiam externo et sensibili, in illo regenerari. Quinto, addere possumus, peccatum originale communicari per actionem corpoream, et sensibilem, et ideo ad profitendam totius humanæ naturæ ruinam, indigentiam, ac vitiatam originem, debuisse per actionem etiam sensibilem ab hac peccati macula liberari, per quam etiam tacite profitebantur homines, quod sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, ita per alium salutem sperabant, ut Cyprianus supra indicavit. Tandem hic modus maxime est accommodatus homini ad operandum circa alium, et quodammodo communicandum illi fidem suam. Ad argumenta in contrarium proposita respondetur, primo ad testimonia Patrum: ad Augustinum de cujus sententia jam constat, respondetur, quamvis non semper meminerit signi sensibilis, nunquam tamen illud exclusisse, et cum in dicto loco ait, homines in lege naturæ fuisse per fidem justificatos, sicut non excludit opera, ita etiam non excludit actus externos, qui ad salutem erant necessarii, sed fidem distinguit a lege, et a specialibus remediis seu sacramentis a Deo designatis. Et eodem modo loquitur aperte Tertullianus, ac similiter Gregorius sub fide includit fidei professionem, et applicationem humano more factam; differentia autem, quam constituit inter parvulos, et adultos, hæc est, quod quia parvuli non habent nisi originale peccatum, illis sufficiebat sacramentum fidei ad salutem; adultis vero propter actualia peccata necessaria erant sacrificia, per quæ Deo satisfacerent, saltem ex opere operantis, ut notavit supra

D. Thomas, in 4, quæst. 3, et eadem est responsio ad omnes alios Patres, qui Gregorium imitati sunt. Ad rationem recte ibi responsum est, supposito statu naturæ lapsæ, et indigentia gratiæ et fidei, ex natura rei sequi, ut teneantur parentes subvenire filiis, et remedium ad comparandam justitiam et expellendam culpam necessarium adhibere; quale autem futurum esset hoc remedium, non poterat ex sola naturali ratione etiam fide illustrata definiri, quia pendet necessario ex Dei institutione, et promissione; sive ergo constituitur hoc remedium in actu exteriori, sive in interiori tantum, necessario dicendum est, intervenisse aliquam institutionem divinam, quæ ex sola rei natura sequi non potest. Et ita difficultas in illa ratione tacta communis est in omni opinione. Ad quod dicendum est, quamvis status legis naturæ non includat specialia præcepta divina, non tamen excludere eam providentiam, eaque auxilia, et remedia ad salutem, quæ juxta conditionem et statum naturæ lapsæ sunt necessaria; et ideo etiam in eo statu providisse medium aliquod ad salutem parvulorum procurandam, quod medium magis constituit in actu exteriori, quam in solo interiori; quia hoc est magis consentaneum humanæ naturæ, ut dictum est; hoc autem remedio instituto, et dato a Deo, ex natura rei sequebatur obligatio parentum de filiorum salute procuranda per tale remedium. Ad confirmationem respondetur, supposita interiori fide, nihil difficultatis fuisse in exhibendo aliquo exteriori signo, præsertim voluntario, id est ex se indifferenti, et arbitrio hominis determinando, ut sect. seq. dicitur. Quocirca quamvis exemplo legis scriptæ et gratiæ non possimus argumentari, hoc remedium in lege naturæ positum fuisse in aliquo actu determinato ex divina institutione, sicut in prædictis legibus determinatum fuit, propter varios status et diversam fidei perfectionem his statibus respondentem, tamen recte ex illo exemplo possumus colligere, saltem in genere hoc remedium etiam in lege naturæ fuisse sensibile, quia in lege scripta et gratiæ, non solum est definita actio ad hujusmodi remedium, sed etiam institutum est, ut esset sensibilis; ergo signum est, hunc modum sanctificationis sub signo sensibili esse maxime accommodatum homini lapsio; atque adeo servatum esse etiam in lege naturæ modo proportionato illi statui.